



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 23. Sixtus Gara de Ruvere Julii Nepos Cardinalis creatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

fimo quinto solium conscendisset, Geor- Sæcul. XVI.
 gium ablegabat, ut Regis nomine Ale- A.C. 1508.
 xandro VI. filialis obsequii pensum ex-
 solveret, eumque, ut regio consilio inter-
 esset, Ulyssiponem repetere rogavit; ve-
 rum Georgius navibus, quibus eo defer-
 retur, appulsis, quominus Ulyssiponem
 veniret, suam senectutem, ac summi
 Pontificis, qui eum Romæ detinebat, vo-
 luntatem prætexebat, nihilominus quam-
 diu ibidem persistebat, Regi suo apud
 summum Pontificem haud vulgaria præ-
 stitit obsequia, tandem vero die deci-
 ma quarta Septembris Anno millesimo
 quingentesimo octavo, postquam Tuscu-
 lanam, Albanensem, ac Portuensem Ec-
 clesias rexisset, Romæ rebus humanis
 valedixit, annum ætatis agens centesi-
 mum secundum.

§. XXIII.

*Sixtus Gara de Ruvere Julii
 Nepos Cardinalis creatus.*

Defunctorum Cardinalium numerum Ciacon. ib.
 suppleturus Pontifex, hoc anno non Raynald. ib.
 nisi unicum sacro Collegio aggregavit. n. 25.
 Is erat Sixtus Gara de Ruvere ejus Ne- Paris. in
 pos, Cardinalis Galeotti frater uterinus, itin. Jul. II.
 cui etiam non modo in titulo Cardinalis MS. Archiv.
 S. Petri ad vincula, sed etiam in Bene- vatic. p. 295.
 ven-

Secul. XVI
A. C. 1508.

ventano Archiepiscopatu successit, quamvis ab illo moribus, atque ingenio plurimum diffideret. Præterea Lucensem, & Cremonensem Episcopatum necnon S. R. E. Pro-Cancellarii dignitatem obtinuit, testaturque Panvinius, illum etiam Vincentina, & Patavina Infula auctum fuisse. Ast ob Vicentinam Ecclesiam graves discordiæ exoriebantur inter Julium Pontificem, & Rempublicam Venetorum, eoquod hi defuncto Cardinale Galeotto de Ruvere vacanti huic Sedi suffecissent nobilem Venetum, Dandalum nomine, quamvis Julius II. Papa ad eandem jamjam nominasset Sixtum Garam, qui tamen illius possessionem non adiit, nisi postquam Dandalus juri suo cesserat, cum toto dissidii tempore, Ecclesiæ illius titulum gessisset. Anno autem sequenti Sixtus Cardinalis hanc Sedem cum Patavina commutavit, demum vero accerrimis podagræ doloribus vexatus ab aula, necnon a publicis muneribus ac dignitatibus abhorrens, omnem fere ætatem ruri egit, & anno Christi millesimo quingentesimo decimo septimo, ætatis suæ quadragesimo quarto vitæ concessit.

§. XXIV.